POSITIONES INAUGURALES DE ALTERO TANTO. QUAS DECRETO ET AUCTORITATE...

Ortolph Fomann, Johann Christoph Avemann, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

I. N. D. N. J. C.

Proœmium.

INſitum eſt hominibus naturâ plurimarum rerum deſiderium, quod nequit expleri, niſi novarum cognitione &, quod ex hâc conſequitur, admiratione atq; inquiſitione. Hinc vulgata & obvia negligimus, nova verò & ſemota placent. Huic ut Viri à literis non alieni ſatisfacerent, nec tamen nova ſciendi amorem in curioſitatem converterent, quæ nonnunquam perſcrutatur ea, quorum ſcientia parum prodeſt, cautionem hanc adhibuêre, ut miſcerent utili dulce & dulci utile, ac ſeligerēt diſcurſuū Academicorum materias, & utilitate & raritate quodammodo ſingulares; hâc in parte imitantes Imperatorem *in* §.3. *Proœm. Inſtit.* qui ab antiquis fabulis ad rerum pondera ac utilia magis animos ſtudioſorum deducendos putavit: Quos & ego ſecutus thematis de ALTERO TANTO, raritate, utilitateq; ſeſe ſatis commendante, quandam delibationem hâc vice proponere ac uberiorem ejusdem tractationem in aliud tempus mihi reſervare conſtitui: ſit ita cum bono Deo

Poſitio I.

JUra de Altero tanto eſſe conſtituta, conſtabit ex infra dicendis. Et Juris compilatores hiſce verbis uſos eſſe, ex *l.13. in pr. ff. de Liber. & poſth. l.9. §.5. ff. de publ. & vectigal. l. 18. §.3. verſ. Idem quæſiit, an alterum &c. ff. de alim. vel cib. legat. l. 9. ff. de uſur. l.46. §.1. ff. de jure fiſci & l. 27. in pr. ff. Ad L. Jul. de Adult.* nec Philologorum loquendi modos ab hoc noſtro abhorrere, liquet *ex Martin. Lexic. Philologico ſub lit. A.* Maximè verò in Practicorum ore hunc ſermonem eſſe frequentem, quotidiana ſatis teſtatur experientia.

2. Aliter atq; aliter indigitatur. In *l.7.C.de Jure Fiſci* dicitur Tantum aliud. *l.5.§.fin.ff. de Publican.* Duplum. *l.un.C.de ſententiis,quæ pro eo quod intereſt &c.* Dupli quantitas. *l. 5. C.de Sponſal.* aliud tantundem. *Interdum,* Bis tantum,tantundem amplius &c *Calvin. in Lex. jurid. ſub his vocab.* inter quæ uſitatiora, Alterum tantum & Duplum.

3. Variæ ejusdem in jure noſtro inveniuntur acceptiones: 1. *enim* Latè ſumitur pro cujusq; Rei Altero tanto vel altero totidem. *d. l.13.ff.de liber.& poſth.* ubi in ſeptem partes hereditate divisâ ſecundùm voluntaté, *ait Julianus,* teſtatoris filius altero tanto amplius habebit,quàm uxor: item uxor altero tanto amplius,quàm filia. Et ſic filius accipiebat partes quatuor, uxor duas, filia unam. Id eſt, filius ad matrem, & mater ad filiam fuit in proportione duplâ, *notante Gothofr. ad ipſam l. lit. H.* quæ inibi vocatur alterum tantum & hic agitur de dividendâ hereditate. 2. Strictè pro illo duplo, quod pœnæ, intereſſe aut acceſſionis alicujus nomine exigitur. 3. Strictissimè reſpectu ejus tantùm acceſſionis, quæ in mutuo ad ſortis ſummam usque proceſſerit, de quâ potiſſimùm nobis erit in noſtrâ diſquiſitione agendum.

4. Hocq; ſignificatu: Alterum tantū nihil aliud eſſe, ſtatuo, quam ad ſortem mutuò datam talem, tantámve acceſſionem, qualis, quantáve eſt ſors principalis.

5. Cum in mutuo ita ſit comparatum, ut uſura quoad materiam conveniat cum ſorte. *Hottoman. de uſur. c.2.* nec acceſſio alterius generis, quàm cujus eſt ſors, propriè loquendo ſit uſura, ſed aliquid datum vel promiſſum loco uſuræ. *l. 14. 17. C. de uſur.* Ideò ratione qualitatis dixi conſentire alterum tantum cum ſorte principali.

6.

6. Sic quantitatis ratione illud cùm ſorte reciprocari, vocabula ipſa innuunt. Statim enim dato aliquo acceſſionis causâ ſupra tantundem, non eſt amplius alterum, ſed incipit tertium tantum, ut ita loquar. Quemadmodum nec infra exæquationem ſimpli vel ſortis principalis dici poteſt tantum, cùm necdum quantitatem attigerit, nec ſit tantum, quanta eſt ſors ipſa.

7. Cujus ſit farinæ opinio Bartoli, Baldi, Caſtrenſis, aliorum exiſtimantium, *quando in jure dicitur, uſuras non debere excedere duplum: intelligi de unius anni uſuris;* in proclivi eſt conjicere: nimirum eâ nihil eſſe abſurdius refert *Fachin.* 10. *controv.* 65. Non enim tàm brevi temporis ſpatio fieri poteſt, niſi à crudeli creditore, ut tantum uſurarum nomine (unico puta anno) exigatur, quantum ſors ipſa debita valeat, nec alterum tantum vel duplum conſiderari, ſi minore adhuc ſummâ nec pari cum ſorte quantitate conſiſtat, jam antea dictum.

7. Declaratur hinc controverſia in hâc materiâ principem ferè locum tenens: An altero tanto inſit ſimplum? Et quamvis *Budæus ad l.* 10. *C. de uſur.* voluerit in duplo hoc uſurarum non ineſſe ſimplum, & ſic poſſe uſuras currere usque ad duplum ſortis, ſorte non computatâ. *Molin tr. de uſur. n.*47.

9. Hoc tamen non eſſet uſuris modum præfigere, vel metam dupli, ſed tripli; Rectiùs itaque cenſebitur cum *Molin. d. loc. & Borch. c. fin. de uſur. n.*19. altero tanto ineſſe ſimplum adeoque cum duplo uſurarum non exigi adhuc ipſam ſortem. Alterum enim tantum duo conſtituit ſimpla, unum ſortis, alterum uſurarum. *Hotom. de uſur. c. ult.* Non ſunt tria, unum ſortis, duo uſurarum, uti id etiam eluceſcit ex pronunciandi more

ac verbis: Daß die verſeſſene Zinſen höher nicht / als die liquidirte Häuptſumma anzurechnen ſeyen.

10. Ulteriùs id probatur *l.10.C.de uſur.* ubi in duplo numeratur ſors, nec ultra ſortis ſummam licet exigere uſuras; ut abſurdum videatur *Ummio* acceſſionem majorem eſſe ipsâ ſorte. *diſp. proceſſ.21. n.48.*

11. Nec aliter ſeſe res habet in eo, quod intereſt, cujus duplo itidem ineſt ſimplum. *l.1. in pr. l.43. in fin. cum ſeq. ff. de Act. Emt.* ut tantum intereſſe nomine conſequi liceat, quantum eſt ipſum ſimplum ſeu res principaliter in obligationem deducta. *Umm. d. diſp.21. n.64.* aſſignat hanc rationem: Reum plus ſatis puniri, ſi pœnæ nomine alterum tantum ſolvere teneatur. Sed de intereſſe variis diviſionibus & ſecundum eas dupli conſiderationibus, nunc nec tempus plura permittit, nec promiſſum.

12. Donellus quidem *ad l. pen. C. de uſur. n.2.* primùm diſſentire videtur per *l. ſi non ſortem 26. §.1 ff. de cond. indeb.* Et in *l. fin. C. de uſur.* dicitur: Uſuras ultra duplum exigi non poſſe; Ad illam igitur usq; quantitatem excluſâ ſorte peti poſſe, objici poteſt.

13. Rem tamen eſſe incertam, ſi hæc quæſtio ex illis textibus decideretur, Donell. tandem concedit *d. n.2. ad d. l. pen.* concludendo cum cæteris Dd. omne dubium eſſe ſublatum per *Novel.121.* ubi quingentis aureis mutuo datis à Titio, ſi ille receperit mille atque ita duplum, nihil amplius ipſi debetur, neque ſors, neque uſuræ; In duplo igitur & ſors & uſuræ comprehenduntur. Quocum facit *Cujac. ad d. Nov.121.* Species, *inquiens*, hujus novellæ eſt: Sors erat quingentorum aureorum: uſurarum nomine ſoluti ſunt primum octingenta, ſexaginta ſeptem, deinde ſeptuaginta duo, tùm

de-

decem. In ſumma Noningenta quadringenta novem. Debitor adhuc paratus eſt ſolvere quinquaginta & unum, ut perficiat mille aureos, quæ ſumma duplum efficit. Liberatur & ſorte & uſuris.

14. Quod verò *in d. l. fin. C. de uſur.* Imperator ait, duplum debitæ pecuniæ non excedere debere, non habet eum ſenſum, ut debita pecunia ſeu ſors hoc duplo excludatur, verùm id intelligendum ſecundùm declarationem *d. l. 10. C. de uſur.* quâ fit manifeſtum, quomodo uſuræ duplum debitæ ſortis excedere dicantur. *vid. ſupr. th.* 10.

15. Leges igitur de altero tanto aut uſurarum duplo loquentes, ita ſunt capiendæ, ne vel minorem ſorte aut eâ majorem quantitatem conſtituere, vel ſimplum altero tanto non ineſſe putemus.

16. Porrò juris hujus introducendi occaſio fuit, ut modus quoq; ratione extremi vel ſummi, uſuris imponeretur, quo earum curſus finaliter ſiſteretur, ne ſimul omnes hominis depaſcerentur facultates, & totum abſumeretur patrimonium. *Hottom. de uſur. c.* 10. *in pr.*

17. Hinc ſcribit Ulpianus *in l. Nihil intereſt. 4. ff. de Naut. fœn. & l. ſi non ſortem 26. ff. de condict. indeb.* conſtitutum eſſe, ut ſupra duplum exigi uſuræ non poſſint.

18. Et Lucullum adverſus fœneratorum avaritiam & voracitatem, ut ſupra duplum nihil ſolvendum ſit, inſtituiſſe, atque ſic Aſiæ urbibus bello attritis ſuccurriſſe; auctor eſt Plutarchus in vita Luculli. Idemque apud Ægyptios conſtitutum fuiſſe ex Diodoro Siculo refert *Franc. Hottom. d. tr. de uſur. c.* 10.

19. Quod nec Romanis Tiberio Imperante diſplicuit, ut Tacitus *lib.5. annal.* dum debitor populo in duplum prædiis cavere tenebatur, tradit. Sicut & poſtea quoque, ad duplum adauctâ ſorte debitum reformare conſveverunt. *Rævard. ad l.41 ff. de R.J.*

20. Ceſſant autem aliàs uſuræ: 1. Solutione ſortis. *Borch. de uſur. c. fin. n. 2.* Soluto enim principali, acceſſorium quoq; diſſolvitur. *c. Acceſſorium 42. de R.J. in 6, l. Cum Principalis 178. ff. Eodem. l. Eos 26 in pr. C. de uſur.* 2. Legitimâ ejusdem oblatione, obſignatione & depoſitione. *l. ſi creditrici. 6. l. ſi per te. 9. & l. 19. C. d. t. Eguin. Bar. in manual. ad tit. Digeſt. de uſur.* 3. uſurarum remiſſione. *Umm. Diſp. proceſſ. 21. n. 47.* Quod omne fieri dicitur Facto hominis. Noſtrum verò finiendi uſuras modum Legis beneficium appellare ſolent.

21. Legibus nimirum expreſsè cautum eſſe, ultra ſortis quantitatem uſuras non deberi, videmus *in l.26. §.1. ff. de condict. indeb. l.4. §.1. ff. de naut. fœn. l.27. §.1. C. de uſur. Nov. 121. & 138.* Uſuris ſortem duplicantibus, ceſſant uſuræ. *Harmenop lib. 3. tit. 7. §. 6. E. G.* Si mutuo dati centum aurei & pro his ſoluti nomine uſurarum alii centum, dicitur, uſuras exæquaſſe ſortem nec deberi amplius.

22. Atque ita pronunciando obſervari, docet *Magnif. Dn. Ordin. D. Fomannus p.m. in præl. public. ad c. 1. extr. de ſent. & rejud quæſt. 3.* non ſolùm hîc in Jenenſi Scabinatu *Menſ. Jun Ann.* 1619. ſed & Lipſiæ in judicio Provinciali *Anno* 1614. item ab Hallenſibus *Anno* 1617. & Coburgenſibus Scabinis *Anno* 1616. Sunt & quatuor conformes à Dominis Scabinis VVitebergenſibus, Lipſ. Jenenſ. Helmſtad. *Anno* 1601. latæ in causâ Hanſtein contra Bendeleben / nempè, daß die Landübli-

chen

chen Zinſen höher nicht / als das Capital ſich erſtrecket / vnd biß die penſiones demſelben gleich werden / abzutragen ſeyen.

23. Et licet inveniantur, qui tamdiu præſtandas uſuras putant, quamdiu durat mutuum, inter quos eſt *Petr. Frider. Mindan. lib. 2. de proceſſ 73. n. 21. membr. ult.* Etiamſi ad 100. vel 1000. annos obligatio duraret. *Petr. Surdus conſ. 302. n. 2. & ſeqq. vol. 3. & Cothman conſ. 52. n. 261. vol. 2* qui uſuras non ut uſuras, ſed ut intereſſe ſive lucrū ceſſans & publicâ lege taxatum deberi ac peti putant.

24. Illorum tamen non ſufficit auctoritas, & uſuras hodiè ut uſuras deberi è contra ſtatuit *Weſemb. in π. ff. de uſur. n. 8. Curtius lib. 3. conject. c. 29. & alii.* Juſtinianus enim, quia uſuras planè tollere non potuit, eas fecit moderatiores *in l. eos qui 26 §. 1. C. de uſur. Bachov. ad Tr. vol. 2. Diſp. 3. th. 1. lit. D.* Undè easdem tolerari, non approbari ait. *Coler. c. 10. de proceſſ. execut p. 1. n. 74.* Non itaq; hodiè continuatur uſurarum datio ultra duplum.

25. Quod & eò extenditur, licet pignora quædam pro debito creditori data ſint, eorundem retentione creditorem ultra duplum conſequi non poſſe uſuras. Rejectâ veterum ſententiâ *in d. l. 27. §. curſum. verb.* Si pignora quædam pro debito creditori data ſunt. *C. de uſur. l. 4. in fin. pr. de naut. fœn. in verb.* Nec pignora vel hypothecæ, titulo majoris uſuræ tenebuntur. *Itē l. pretii. 19. C. mand. Vigel. part. 5. ff. c. 9. Reg. 3. Cujac. ad Nov. 121. Rittersh. part. Nov. 3. c. 9. n. 8.*

26. Num verò uſuræ particulatim ſolutæ, ultra ſortē excurrere, atq; ſic alterum tantum ſuperare poſſint, nō adeò expeditum eſt? Id primâ fronte dicendum videtur ob *l. 10. C. de uſur.* quâ uſuræ per tempora ſolutæ, ad dupli computationem non proficiebant. Hujus rei

 ratio

ratio erat, quod lex, cum vetaret exigi uſuras ultra duplum, apertè ſe referret ad tempus, quo petuntur, & ad ſummam petitarum: Non autem petuntur ultra duplum, niſi nondum ſolutæ. Solutæ enim peti ampliùs nequeunt. *Don ad d.l.*10. *n.*3.

27. Verùm cum *d.l.* 10. ſit abrogata per *Novel.*121. *&* 138. *Pac. ad d. l.*10. *n.*8. *Cujac. ad d. nov.* 121. *Rittersh. p. N.* 3. *c.*9. *n.*9. *qui*, Jure Codicis, *inquit*, uſuræ non ſemper ſuâ die (debito tempore) ſolutæ, ſed particulatim ſive diverſis temporibus, reo non proficiebant ad computationem dupli. Sed jure Novell. aliud cautum eſt: nempè ut proficere debeant. Hæc ille. Hodiè igitur uſuræ minutim & diverſo tempore ſolutæ, in duplum conferuntur, ac ſtatim poſt exæquationem deberi deſinunt. *d.l. de uſuris* 27. §. 1. *l.* 29. *C. de uſur. d Nov.* 121. *c.* 2. *& d. Nov.* 138.

28. Adeò, ut ſi de facto ſolutio uſurarum poſt æquationem ſortis procederet ac duplum hoc modo ſuperaretur, ſorti deberet imputari omne id, quod ultra alterum tantum ſit ſolutum *d. l.* 26. §. 1. *in verb.* Sed & ſolutæ repetuntur &c. *ff. de cond. indeb.*

29. Ratio hujus abrogationis eſt: Ne melioris conditionis eſſet debitor non ſolvens, ſolvente, fruſtrator vel litigator verecundo & fidem ſervante, néve è contrario melioris eſſet conditionis rigidus & acerbus exactor, qui nulli termino pepercisset, quàm benignus creditor. *Molin. tr. de uſur. n.* 46.

30. Secundùm leges igitur ſive particulatim ſolutæ ſint uſuræ, ſive omnes adhuc reſtent, quantitatem ſortis excedere non debent; Sed quocunque modo & quibus gradibus etiam exiguntur, non ulterius currunt. Non itaque plus lucretur, qui gravioribus, quàm

quàm qui levioribus uſuris fœneratur, niſi in repræſentatione; Hoc quidem commodi habebit, ut citiùs ſortis exæquatio fiat; verùm altero illo tanto plus conſequi nequit ejusmodi feſtinans fœnerator. *Molinæus d. tr. n.105.*

31. Non tamen cenſendum, quolibet gradu cuilibet eſſe permiſſum, diſcrimina uſurarum pro libitu inſtituere, Lege enim 26. *C. de uſur.* modum præſcripſit Juſtinianus pro varietate circumſtantiarum, qui antea conſiſtebat in uſuris centeſimis, *Rittersh. par. Nov. 3. c. 9 n. 3.* ubi ſæpiſſimam uſurarum ſecundum diverſa tempora tractat mutationem, donec *d. l. 26.* conſtitutum pro qualitate perſonarum uſuras eſſe exigendas.

32. Hâc noſtrâ tempeſtate *non ſolùm Conſtitutionibus Imperii à Maximil. I. Anno* 1500. *à Carolo V. Anno* 1530. *&* 1548. *ſed & Electoralibus ſub tit.* von wucherlichen Contracten/ uſuræ quincunces permittuntur, ultraque eas etiam in Dicaſteriis Saxonicis nunquam adjudicari, teſtatur *Magnif. & Conſultiſſ. quondam Dn. Ordinarius D. Fomannus p. m.* aliquot ſententiis hoc corroborans in celeberrimo Jenenſi Scabinatu latis, præſertim *menſ. Majo Anno* 1621. *menſ. Jul. Anno* 1622. *menſ. Septemb.* 1626. *in prælect. ad c. 6. extr. de jurejur.*

33. Quod & aliorum confirmatur præjudicatis, ut *Facultatis Marpurgenſis Anno* 1619. quinque pro centum adjudicantis; cui ſententiæ *Scabini Hallenſes* (ad quos, actore non contento priore illâ ſententiâ, ac propterеà Leuterationem interponente, acta mittebantur) adſenſum & calculum addiderunt, *pronunciantes*, daß es eingewandter Leuterung ungeachtet bey vorigem Urtheil billich verbleibe/ *Anno* 1620. Idem obſervari in Camera Imperiali ex theſi ſeq. patebit.

34. Etſi enim majores promiſſæ & in obligationem deductæ fuerint, itemque fortè in inferioribus judiciis majores decretæ, ſi tamen deinde res per nullitatem vel appellationem vel alio modo ad Cameram pervenerit, ſemper tanquam juri & Receſſibus Imperii contraria per ſententiam Cameralem reformatur, uti id apparet ex infinitis ferè præjudiciis, inprimis 27. *Jun. Anno* 1617. *in punct. Appellat.* David Nacken *contra* Joſeph Jůden zu Franckfurt. *item* 5 *Julii Anno* 1621. *in cauſâ* Wolff Adams von Schwalbach Kinder Vormůnder *contra* deſſen *Creditores.* Ac noviſſimè me præſente pronunciabatur *die Veneris* 23. *Martii Anno* 1632. In Sachen Philip Reiſers Appellanten eins wider Heinrich Moriz Knorren Appellaten andern Theils/ſeynd die einkommene Gravamina, als vberflůſſig nicht / ſondern die Sach von Amptswegen fůr beſchloſſen angenommen / darauff vnd allem fůrbringen nach zu Recht erkandt / daß durch Richtern voriger Inſtanz vbel geurtheilet / wol davon appelliret, derowegen ſolche Vrtheil zu reformiren, nemlich der geſtalt / daß gedachter Appellat die geklagte 5000. fl. capital ſampt dem intereſſe à tempore moræ, jedoch 5. vom hundert (cautum verò erat ſex pro centum) jährlich gerechnet/in dem Werth/wie die Sorten zur Zeit der Klag gäng vnd gäbig geweſen/ dem Appellanten in der Stadt Augſpurg zu entrichten vnd zu bezahlen ſchuldig / auch darzu zu condemniren vnd verdammen ſeyn / als wir ſie hiermit reformiren, auch reſpectivè condemniren vnd verdammen ermeldten Appellaten in die Gerichtskoſten/ derowegen auffgelauffen/ jhme Appellanten nach rechtlicher Ermeſſigung zu entrichten vnd zu bezahlen/ fellig ertheilend.

35.

35. Quod per Mandata quoque Cameralia fieri ſolet: Nam cum Judæi Wormatienſes uſuras beſſes exigerent & Magiſtratus cives debitores in eaſdem condemnaret; Tribus ibidem contra Senatum obtinuere *Anno* 1614. 17. *Octobr.* in conſilio decretum Mandatum, quo injunctum Magiſtratui, ut non niſi Quincunces uſuras decernerent in debitis adhuc ſolvendis, in ſolutis verò beſſes reducerent ad Quincunces, ita ut Judæi, ſi majores quincuncibus recepiſſent, reddere civibus cogerentur.

36. Ne verò extra cancellos materiæ longiùs evagemur, dictum ſupra *th.* 28. uſuras particulatim ſolutas non minus excedere debere alterum tantum, quàm ſolvendas per *Nov.* 121. *&* 138. ut & quidam affirment, quod ſententia judicis ſit ipſo jure nulla, ſi forte aliter pronunciaverit, *per dd. Nov. juncto c.* 1. *ext. de ſent & re jud.*

37. Et compertum quidem eſt, contra hoc jus Novellarum alios interdum pronunciaſſe, quibus dictæ *Nov* 121. *&* 138. nunquam obſervatæ, ut & per Irnerium nō inſertæ Codici, uti fieri debuerat poſt *d.l.* 10. *Ritters. d. c.* 9. *n.* 10. ubi dubitat an Irnerius fuerit nec ne, qui clauſulas ex novellis decerptas Codici inſeruerit.

38. Sæpiſſimè tamen Nobiliſſimos ac Ampliſſimos Dnos Scabinos Jenenſes aliter tuliſſe ſententias nempè eo modo: Und leſt ſich der Gläubiger mit dem altero tanto, unangeſehen die Zinſen particulariter gefallen/ billich begnügen/ꝛc. tradit *præfatus Dnus Fomannus Senior p. m. Preceptor meus & Patronus dum vixit venerandus, ac æternùm gratitudinis ac memoriæ honeſtiſſimæ debitò colendus. ad d. c.* 1. *extr. de ſent. & re judic. quæſt.* 4. ubi tamen ſimul admonet ob tantam Dd. diverſitatem cir-

ca hanc rem tutius eſſe, uti beneficio appellationis. Siquidem quando jus propter Doctorum diſputationes eſt dubium, is, contra quem lata eſt ſententia, appellatione indiget, ut tradit *Zaſius ad l. 32. n. 4. ff. de Re judicat.*

39. Nec nocet, quod dd. Novellæ ab Irnerio (fuiſſe enim eum, qui Authenticas Codici inſeruerit teſtatur *Hottom. in comm. verb. juris* ad vocem: Irnerius, *& Matth. Stephan. ad Novell. Proam. n. 33.* Imò *Rittershuſ. ipſe part. Novell. 11. c. 1. n. 10.* Irnerio eas attribuit) *l* 10. non ſint poſtpoſitæ vel planè in Codice prætermiſſæ. Hoc enim non obſtante in obſervantiam venerunt, & uſum, uti ex hactenus dictis liquidò apparet.

40. Caſus unicus *l. 16. C. de erog. milit. ann.* ab his omnibus excipitur, *in pr. verſ. Hoc videlicet &c. Umm. Diſp. proceſſ. 21. n. 48.* ubi permittitur actuario negociari cum militibus, ita ut in ſingulos ſolidos amplius, quam unum tremiſſem pro quocunque temporis ſpacio accipere non poſſit, ſed benè minus in tremiſſe: & ſic cumulus uſuræ non poteſt in fine cujuscunque ſive brevis ſive prolixi temporis tertiam partem ſortis excedere, ſed benè infrà ſubſidere. *Molin. d. tr. de uſur. n. 105.*

41. Fuit exceptio in caſu, ubi altero tanto minus exigere præceptum nec illud attingere fuit permiſſum, jam autem plures excipiuntur à regulâ ratione exceſſus: 1. Si lis ſuper ſorte & uſuris eſſet conteſtata, vel debitor in jus vocatus moram faceret litis conteſtationi, ut interim pecuniâ utatur, quòd tunc uſuræ currere non deſinant, quamvis ſortem lite pendente æquaverint. *l. lite conteſtata 35. ff. de uſur.* Monente *Zanger. de except. par. 3. c. 25. n. 35. & 38.* Debitor enim

li-

litem non conteſtando moram facit *l. 1. l. fin. C. de uſur. & fruct. legat.* In facti itaque ſpecie, quâ reus moram commiſerat ac fuerat temerarius litigator; lite inſuper motâ ſuper ſorte & uſuris ac conteſtatâ, ſententia contra alterum tantum hoc modo lata: Dawider Beklagter ſich mit dem altero tanto, daß die Zinſen das Capital erreichen / geſtalten Sachen nach nicht zu behelffen V. R. W. in ſæpiùs laudato Scabinatu Jenenſi *menſ. Maj.* 1625.

42. De annuis 2. reditibus eſt exceptio. Hi nempè tamdiu ultra duplum vel alterum tantum currere poſſunt, quamdiu ſors penes debitorem remanet, ita nimirum Juſtinianum conſtituiſſe *Nov.* 160. ait *Pac. ad d. l.* 10. *C. de uſur n.* 10. Cum habeant aliam à formali uſurâ naturam *d. Nov.* 160. & redituum Emptiones ut & contractus cenſuales ſint liciti per ſe & non uſurarii, etiamſi de novo conſtituantur.

43. Favor 3. pecuniæ municipalis, ſive Reipublicæ debitæ exceptionem meretur. Talis enim pecunia annuorum redituum jure cenſetur, eâdem *Nov.* 160. Hinc Civitates, corpora, communitates, Collegia & Eccleſias, quibus ſemper currant uſuræ non attentâ quantitate dupli ſortis, excipit *ad d. Nov. Joach. Steph. in expoſit. Novellar.*

44. Inter alia hic poſſet & illa controverſia locum habere, an extenſio poſſit fieri ex *Nov.* 160. ad piam cauſam & in eâ obtinere jus redituum annuorum? Verùm, cum brevitas temporis haud permittat, pro dignitate & huic latiùs indulgere materiæ, hîc Diſputationis filum abrumpo, atque Lectoris benevolo judicio meliora & plura monitus, aliâ vice Deo dante præſtabo, cui ſit

L. G. H. & G. A.

Clariſſimo Dn. Joh. Chriſtophoro Avemanno J.U. Ddo Amico veteri & fautori colendo S.

ET tua jam vehitur niveis Avemanne quadrigis
Virtus, ex vario tracta labore tuo.
Acer ubi ad puras currens Aganippidos undas
Hauſiſti, inſtillans mentis hiantis opes.
Et Themidis varios voluiſti evolvere tractus,
Quô Tibi conſtaret verus honoris amor.
Inde ſuum Te jura vocant, tituloque coronant
Doctoris, Tibi quem jure valere precor.
Et tua fama diu volet intemerata per orbem,
Sidereum evecta ad orbis utrumque polum.

Johannes Chriſtophorus Avemannus.

Ἀναγ.

ah ſua ſinu ſpernant, jus hoc honorem.

Ah ſua *vana* ſinu ſpernant, *qui temnere Muſas*
Pergunt, dum verum mihi jus hoc *reddit* honorem.

M. Hippolytus Hubmejer
Superint. Heldburg.

F I N I S.